INDEX
LECTIONVM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXC

AB DIE XVI M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM

QVAESTIONES HERODOTEAS

EDVARDVS SCHWARTZ

PRAEMISIT

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS

Inter comitiorum turbas taediosas hac uos, commilitones humanissimi, commentatione ad studia semestris aestiui inuitamus. scripsimus haec non ea animi libertate qua opus est uitam hominesque ex libris et monimentis peruetustis indagaturo, scripsimus ira et dolore oppressi quod tot ciuium ardor licentia cupiditate odio temulentorum praua, immo prauissima iussit, neque uos in hac quidem re a nobis dissentire uel credimus uel uolumus. attamen monemus uos ut fato melius esse sentiatis obstare quam illacrimari neque praeter pium fortemque imperatoris patriaeque amorem ulla re magis corroborari uirum iustum propositique tenacem quam puro castoque sciendi studio artisque ac rationis imperturbata seueritate. talibus animis hoc doctrinae specimen rogo et accipiatis et examinetis.

I. Herodotus primi libri [57] loco celeberrimo de Pelasgis disputavit Graeciae antiquae indigenis atque ita quidem ut ex uariis diuersisque fabulis more illius saeculi per argumentationes acutas et lepidas speciem quandam uerae historiae contexuerit. neque ipse haec omnia primus composuit, quoniam Graeciam antiquitus Pelasgorum fuisse uel Aeschylo iuueni notum erat, cum Supplices scriberet [vs. 240 sq.]. talia facile excogitabantur postquam Catalogorum [frg. 70] Hesiodeorum poetae Pelasgi nomine populos indigenas siue Terrae filios significare coeperunt. quamuis enim longe abesse uelim ab ea temeritate cui paucis uerbis tota quaestio Pelasgorum solui posse uideatur, in permultis fabulis non dubito quin Πελασγός et αὐτόχθων non aliter differant quam quod alterum nomen proprium et fabulare, alterum nomen appellatiuum et historicum sit. an casu factum est ut ab Hesiodo Pelasgus stirpis Arcadicae semper indigenae pater terrae filius dictus sit, ab Aeschylo Palaechthonis, Herodotus gentem Pelasgicam solum patrium nunquam uertisse scripserit? latius tamen ista terrigenarum patet significatio. apud Athenienses ueteres, quorum fabula subest narrationibus et Hecataei et Herodoti in libro sexto [137 sq.], Pelasgi, i. e. daemones terrestres, iisdem et muneribus fungebantur et utebantur moribus quibus apud alios Graecos Cyclopes uel Enchirogastores. ita illam fabulam explicandam esse eo certe non refutatur quod cum nominis Pelargici ueriloquio coniuncta est, quia Pelasgorum notio antiquior quam illud ueriloquium esse debet. atque ut hos quidem Pelasgos pro populo habere nobis certe non licet, ita Atheniensibus ipsis cum Lemnum Imbrumque insulas occuparent, harum terrarum incolas terrigenas eo magis aptum uerumque uidebatur Pelasgos

appellare quo hos Pelasgos cum suis ipsorum Pelasgis conectere et hoc conexu se iure illas terras occupasse probare poterant. ita enim in Lemno rem se habere siquidem propter ipsam Atheniensium narrationem apud Herodotum [l. c.] certissimum est, idem iudicium de Pelasgis Imbri habitatoribus [cf. Herod. 5, 26] ferre licebit. uerum harum gentium nomen quod ipsae sibi indidere, prorsus ignotum est.

Hae fabulae omnes dum ex populi uita rebusque gestis quasi e terra natiua laete ubereque exsiliunt, fando et narrando ipsae prodiderunt unde uenissent; cum uero a scriptoribus per doctas indoctasue argumentationes in historiam transmutari coepissent, plerosque fallebant falluntque. quod si annalium scriptores Ionici quos Graeci λογοποιούς uocabant, huius saeculi uiri docti Thucydidis studium et antiquos cauillandi et sermonem traditum nouandi secuti inconsulte logographos dicere consuerunt, isti scriptores si barbaros indigenas colonisque Graecorum aduersarios ex more Atheniensium Pelasgos uocabant ut e. g. Deiochus Proconnesius schol. Apoll. 1, 987. 989 Cyzici accolas eosdem quos Γηγενεῖς dicit Apollonius, hoc ne falsum quidem erat dummodo recte explicaretur, sed falsissime Deiochus istos Pelasgos e Pelasgiotis Thessaliae ortos esse hariolatus est. similiter Pelasgi Tyrseni qui tantopere uiros doctos uexauere, in historiam recepti sunt. qua de causa Cumaei et Phocaeenses piratas Tuscos quibuscum acerrime pugnabant, Tyrsenos uocauerint, nondum constat. constat hoc esse factum neque minus certum est a Phocaeensibus similitudinem quandam morum inter hos nouos inimicos et antiquos quos in Lydia reliquere obseruatam fuisse ita ut Tuscos non aliter quam ipsi ex Lydia in Italiam migrasse fabularentur. quam fabulam secutus est Herodotus [1, 94], refutauit Xanthus rerum Lydicarum magis peritus [frg. 1], quem Herodoto non notum fuisse et haec docent et ea quae ex illo de Lydiae natura excerpsit Eratosthenes apud Strabonem 1 p. 49 uel 12 p. 579, comparata cum Herodoti uerbis 1, 93 θωῦμα δὲ γῆ ἡ Λυδίη ἐς συγγραφὴν οὐ μάλα ἔχει οἷάτε καὶ ἄλλη χώρη, παρὲξ τοῦ ἐκ τοῦ Τμώλου καταφερομένου ψήγματος. at Hellanicus et Pherecydes Atheniensium ratione illos quoque barbaros uastae et multiplici Pelasgi progeniei inseruerunt atque alter ita quidem ut ad Pelasgos Thessalicos referret [Dionys. AR I 28 p. 74], alter ad Arcadicos [ibid. I 13 p. 35]. contraria et simili tamen ratione Thucydides [4, 109, 4] Pelasgos quos ex Attica Lemnum emigrasse Athenienses fabulati erant, Tyrsenos uocat quia in illis fabulis recentis originis contra terrigenarum indolem non latronum sed piratarum partes agunt, idemque Thucydides hos Pelasgos dicit non diuersos esse a tribu quadam barbara Actam paeninsulam obtinente imperioque Attico uicina. scriptores posteriores quibus rationibus Pelasgos Tyrsenosque composuerint confuderintue, huius loci non est persequi.

His ex omnibus Herodotum siue Herodoti auctorem apparet ea de causa Pelasgos Graeciae antiquae incolas barbaros putasse quod sub Pelasgorum nomine apud alios notio fabularis indigenarum latebat, apud alios barbarorum colonis Graecis inimicorum, ab aliis denique hae notiones ipsi historiae inserebantur. accedebat patriciorum Doriensium superbia, in quorum fauorem Hesiodus, ut nomine tradito brevitatis causa utar, Dorum filium esse primigenium Hellenis i. e. uerum genuinumque stirpis Hellenicae heredem finxerat [frg. 27]. sed hanc rem persequi nunc quidem mihi commodum non est. at sophistarum saeculo Herodotus historiam scribebat quo rationes et argumenta cuiusuis opinionis postulabantur, neque miram istam opinionem qua omnium Graecorum auos maioresque praeter Dorienses barbaros fuisse contendebat, sine testimoniis speciosis proferre ausus est. quae ne deessent, quaesiuit numqui extarent Pelasgi

uocati neque in sermonis Graeci communitatem recepti. inuenit hosce, sed locus ipse exscribatur necesse est [1, 57] ἥντινα δὲ γλῶσσαν ἵεσαν οἱ Πελασγοί, οὐκ ἔχω ἀτρεκέως εἰπεῖν. εἰ δὲ χρεών ἐστι τεκμαιρόμενον λέγειν τοῖσι νῦν ἔτι ἐοῦσι Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων, οἳ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισιν, οἴκεον δὲ τηνικαῦτα γῆν τὴν νῦν Θεσσαλιῶτιν καλεομένην, καὶ τῶν Πλακίην τε καὶ Σκυλάκην Πελασγῶν οἰκησάντων ἐν Ἑλλησπόντωι, οἳ σύνοικοι ἐγένοντο Ἀθηναίοισι, καὶ ὅσα ἄλλα Πελασγικὰ ἐόντα πολίσματα τὸ οὔνομα μετέβαλε, εἰ τούτοισι τεκμαιρόμενον δεῖ λέγειν, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες. atque hi quidem Pelasgi qui ex Attica in Propontidis oram uenisse dicuntur, comparentur uolo cum Imbri Lemnique Pelasgis et cum Thucydidis Pelasgis Chalcidicis ut non ueros eos fuisse Pelasgos cuiuis appareat, quicquid de Hesychii glossa Πλακία χώρα παρὰ τὴν Θράικην εἰς ἣν ἀποικίαν ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι indicaverit. tanto difficiliora sunt ea quae apud Herodotum antecedunt. Crestonaeos pagumque Crestonicum Herodoti aetate inter Strymonem et Axium flumina ad septentrionem Chalcidicae sitos fuisse constat ex 7, 124. 8, 116, neque discrepat Thucydidis discriptio 4, 109. 4 καί τι καὶ Χαλκιδικὸν ἔνι βραχύ, τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων καὶ Βισαλτικὸν καὶ Κρηστωνικὸν καὶ Ἠδῶνες, nisi quod Crestonaei et Pelasgi diserte distinguuntur. iam uero qui sunt isti Tyrseni supra quos Crestonem sitam esse Herodotus dicit? neque enim ii esse possunt quos Pelasgos Tyrsenos Thucydides dicit — nihili enim sunt Pelasgi supra Pelasgos habitantes — neque Herodotus alios uocat Tyrsenos nisi Tuscos. atque hos intellegendos esse et fuere et sunt qui credant innixi Dionysii Halicarnassensis loco celeberrimo qui est in libro I [29 p. 77]: ‚καὶ γὰρ δὴ οὔτε Κροτωνιῆται' ὥς φησιν Ἡρόδοτος, ‚οὐδαμοῖσι τῶν νῦν σφεας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι οὔτε Πλακιηνοί, σφίσι δ' ὁμόγλωσσοι κτλ.' data occasione obseruo recte apud Dionysium deesse articulos, quos in nostris Herodoti libris permultis locis falso aut positos aut omissos esse cuiuis uel obiter inquisituro apparebit. sed grauissimum est pro Κρηστωνιῆται Dionysium legisse Κροτωνιῆται, unde etiam loco superiore sequitur in eius codicibus Herodoteis extitisse Κρότωνα i. e. Cortonam Etruriae oppidum. neque uero Κρηστῶνα librariis medii aeui deberi testis est Stephanus Byzantius [p. 383, 16]: Κρήστων πόλις Θράικης. ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστὼν παρ' Ἡροδότωι. Λυκόφρων [937] ‚ὁρκωμοτῆσαι τόν τε Κρηστώνης θεόν.' ὁ πολίτης Κρηστωναῖος παρὰ Πινδάρωι. Ῥιανὸς δὲ Κρηστωνίους αὐτούς φησιν. Ἑκαταῖος δὲ Κρηστῶνας αὐτοὺς ἐν Εὐρώπηι. καὶ Κρηστωνικὸν κτητικόν. de hoc loco F. R. Hildebrandt in dissertatione Lipsiensi anni 1883 ‚de itineribus Herodoti Europaeis et Africanis' p. 45/46 ‚*cum eo*', inquit, ‚*loco Lycophronis mentio fiat, Theonem fontem esse Stephani sine nimia audacia suspicabimur. qui quando fuerit, plane non traditur, sed Giesius acuta probauit argumentatione, aequalem eum Didymi Chalcenteri, h. e. Ciceronis, museo Alexandrino praefuisse. . . . . ergo nisi alium praeter Theonem scriptorem consuluit Stephanus, Theonem, Ciceronis fere aequalem, in libris suis Herodoteis sicut nos* Κρηστῶνα *legisse probabile est.* quae falsa sunt ad unum omnia. neque enim Didymus Ciceronis aequalis fuit sed Augusti, quoniam sine dubio post mortem Ciceronis contra libros illius de republica inuectus est [cf. Suid. s. u. Τράγκυλλος Ammian. Marc. 22, 16, 16] atque ita quidem, ni fallor, ut Platonem cum Cicerone compararet, et Iubam regem, qui ante a. 30 nihil scribere potuit, multis libris petiuit [Suid. s. u. Ἰόβας], neque Apio Didymi alumnus qui inde a Tiberio usque ad Claudium floruit, Theoni succedere potuit nisi is Augusti Tiberiique aequalis fuit. multo grauioris est momenti Stephani locum maximam certe partem ad Theonem ne posse quidem referri. Rhiani enim mentionem non commentatori, sed ethnicon scriptori deberi, ni fallor, Oro, ex magna multitudine locorum ex illo excerptorum apparet,

Hecataeus uero et Herodotus quin ab ipso Stephano lecti sint, nemo harum rerum peritus dubitat. an Hildebrandt tales ineptias quales Stephanus sub lemmatibus Ἀρτεᾶται [p. 128, 4 cl. 127, 9], Θυέλα [p. 319, 11], Καλάσιρις [p. 347, 22], Χομψώ [p. 695, 14] ex mala Herodoti lectione protulit, grammatico bonae aetatis attributurus est? recte autem uerba Stephani Κρηστών, πόλις Θράικης. ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστών παρ' Ἡροδότωι intellegi non posse Meinekio concessit neque tamen recte illius coniecturae Κρηστώνη πόλις Θράικης adstipulatus est. immo reputanti Stephani non ipsum librum, sed epitomam extare in mentem ueniat olim in ipso libro post lemma disputatum fuisse an Creston urbs extiterit, tum a Stephano uerba ἔοικε — Ἡροδότωι simili addita esse ratione qua lemmati Ἰνυκός ex Hippia maiore Platonis [p. 282 e] desumpto adscripsit [p. 332, 18] Ἡρόδοτος δὲ Ἴνυκα αὐτήν φησιν ἀπὸ τοῦ Ἴνυξ, ἔοικε δ' ἐσφάλθαι.

Vtut haec se habent, etiam ante Byzantinos Κρηστῶνα et Κρότωνα, Κρηστωνιῆται et Κροτωνιῆται in Herodoti codicibus extitisse constat. mire accidit ut in aliorum quoque scriptorum libros manuscriptos eadem discrepantia irrepsisse uideatur. ex Theopompi quinquagesimo quarto quaedam Athenaeus [3 p. 77 d] seruauit quae euenisse feruntur περὶ τὴν Βισαλτίαν καὶ Ἀμφίπολιν καὶ Γραστωνίαν (γραιστωνίαν A) τῆς Μακεδονίας. ad quem locum Stephani lemma corruptum referendum est [p. 199, 21] Γαστρωνία χώρα Μακεδονίας, Θεόπομπος νδ. iam uero hos Grastonios et Grestonios quos Thucydides altero libro [2, 99. 100] et Stephanus sub lemmate Γρηστωνία [p. 213, 8] commemorat, a Crestonaeis Herodoti Thucydidisque in quarto libro non diuersos esse uel inde planum fit quod utrique Bisaltarum uicini dicuntur [Athen. 3 p. 77 d Thuc. 2, 99, 6 Herod. 8, 116]. atque in uicesimo Theopompum de eadem regione egisse testis est Aristoteles qui fertur de mirabilibus [122 cl. Athen. 9 p. 401 b] φασὶ δὲ καὶ ἐν τῆι κροτωνία παρὰ τὴν Βισαλτῶν χώραν κτλ. quoniam κροτωνία praebet codex optimus Laur. 60, 19, codices deteriores κροτωνία παρὰ omittunt, istud nomen in archetypo non clare scriptum uel correctum fuisse uidetur neque dubitari potest quin ex Κρηστωνίαι ortum sit, quo nomine Theopompum simul cum Γραστωνία usum esse crediderim non aliter quam Thucydides et Κρηστωνικόν et Γρηστωνία posuit. denique mira et inaudita in Herodoti codicibus 3, 136 leguntur haecce: ἐνταῦθα δὲ ἐκ κρότωνος [R, κρηστώνης cett.] τῆς Δημοκήδεος Ἀριστοφιλίδης τῶν Ταραντίνων ὁ βασιλεὺς τοῦτο μὲν τὰ πηδάλια παρέλυσε τῶν Μηδικέων νεῶν, τοῦτο δὲ αὐτοὺς τοὺς Πέρσας εἶρξε ὡς κατασκόπους δῆθεν ἐόντας. ἐν ὧι δὲ οὗτοι ταῦτα ἔπασχον, ὁ Δημοκήδης ἐς τὴν Κρότωνα ἀπικνεῖται. et κρότωνος τῆς et κρηστώνης τῆς corrupta esse apparet, neque minus tamen clarum est librariis uel potius eis qui Herodoti uerba magis recensere quam describere solebant, confusionem sollemnem illorum nominum notam fuisse. ceterum mea quidem sententia hoc unum ex plurimis neglegentiae editorum documentum est quod uel Wesselingii coniecturam ῥηστώνης uel Heroldi χρησμοσύνης receperunt, cum neque haec uerba apte explicari possint neque articulus locum habeat. quoniam propter uerba ὁ Δημοκήδης ἐς τὴν Κρότωνα ἀπικνεῖται illum effugisse et concludi et ab Herodoto narratum esse debet, proposuerim ἐνθαῦτα δὲ ἐκ⟨διδ⟩ρήσκοντος Δημοκήδεος.

Sed redeamus ad locum libri primi. primo inquirendum est an Dionysii lectio uera sit, eo magis quo nostrae aetatis historici grauissimae auctoritatis, Niebuhr, Kiepert, nouissime Eduardus Meyer [Philolog. 48, 482 sq.] — Steinium in Herodoteis ne curetis uos monere non praetermittam — pro hac lectione quam acerrime pugnauere. res ita se habet. quicunque Pelasgos in Etruriam uenisse tradidere, Pelasgos Tyrsenosque unius eiusdemque populi diuersa nomina fuisse credidere. quod optime Dionysius probat cum uno isto Herodoti loco innixus contra sententiam uolgo traditam

pugnat: cf. AR 1, 23 p. 62 ταῦτα δὴ Μυρσίλος ὁ Λέσβιος ἱστόρηκεν ὀλίγου δεῖν τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι γράφων οἷς ἐγὼ νῦν, πλὴν ὅσον οὐ Πελασγοὺς καλεῖ τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλὰ Τυρρηνούς· τὴν δ' αἰτίαν ὀλίγον ὕστερον ἐρῶ. 25 p. 65—67 ἐκαλοῦντο δὲ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων . . . οἱ αὐτοὶ Τυρρηνοὶ καὶ Πελασγοί. ὧν ἐγὼ λόγον ἐποιησάμην τοῦ μή τινα θαῦμα ποιεῖσθαι ἐπειδὰν ποιητῶν ἢ συγγραφέων ἀκούῃ τοὺς Πελασγοὺς καὶ Τυρρηνοὺς ὀνομαζόντων πῶς ἀμφοτέρας ἔσχον τὰς ἐπωνυμίας οἱ αὐτοί. 29 p. 75 ἐμοὶ μέντοι δοκοῦσιν ἅπαντες ἁμαρτάνειν οἱ πεισθέντες ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι τὸ Τυρρηνικὸν καὶ τὸ Πελασγικόν. 30 p. 78 τούτωι μὲν δὴ τῶι τεκμηρίωι χρώμενος ἑτέρους εἶναι πείθομαι τῶν Τυρρηνῶν τοὺς Πελασγούς. si igitur Herodotus de Cortona locutus esset, in eo ab omnibus scriptoribus dissensisset quod Pelasgos Cortonam, Tyrsenos ceteras Etruriae partes occupasse tradidisset. praetermitto sanequam maxime mirum esse et prorsus inauditum Cortonenses Tusco sermone non usos esse, praetermitto non elucere quomodo Herodotus tale quid ex intima Etruria comperire potuerit: si quidem Pelasgos in Etruriam uenisse credidit, aut hoc ipso loco aut eo certe quo de Lydorum colonia disputauit, disertis uerbis ei exponendum erat unde et qua de causa praeter Lydos Pelasgi in illam terram profecti fuerint, aut si haec omnia non sufficiunt, paulo clarius Italia significanda erat quippe quae praeter oram maritimam illa aetate a Graecorum notitia procul abesset. denique tota Herodoti disputatio omnem uim perdidisset nisi eorum tantum Pelasgorum rationem habuisset qui in uicinia Graecorum habitabant neque tamen Graece loqui didicerant.

Cortonam igitur Etruriae urbem ut credam ab Herodoto dictam esse, a me impetrare non possum neque unquam potero. eo libentius autem aduersariis concedo alterius quoque lectionis defensores grauibus difficultatibus intricari. leuius est quod pro iusta et sollemni forma Κρηστωναῖοι apud Herodotum scriptum extat Κρηστωνιῆται. in his capitibus deterioris tantum generis codices praesto esse reputanti non nimiae audaciae esse uidebitur siquis hanc lectionem ex formis Κρηστωναῖοι et Κροτωνιῆται mixtam et conflatam esse ratus illam restituendam esse censuerit. at Tyrsenorum nomine Herodotus unos Tuscos significare solet. rectissime id quidem: si autem aduersarii quoque uerba τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων per interpolatorem antiquum turbata esse facere non poterunt quin concedant, num nobis idem iudicium ferre non licebit, ita tamen ut Τυρσηνῶν πόλιν ab eo inserta esse putemus cui Cortonam claris uerbis significari quaqua de causa commodum uisum fuerit? qua coniectura primum id lucramur quod Κρηστών non urbem quae sane nunquam extitisse uidetur, sed regionem significat id quod cadit in multa et uocabula et nomina in ών terminantia: cf. Μαραθών [Strab. 3 p. 160] ἀμπελών δαφνών ἐλαιών οἰνών αὐλών. additamento igitur illo eiecto relinquuntur quae pro genuinis habeantur, haec: Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ Κρηστῶνα οἰκεόντων. pendet praepositio ὑπέρ, sed qua de causa, quiuis uidet. an Herodotum nihil addidisse probabile est quo illius regionis paucis notae situm describeret? quod si extiterat, per interpolationem de loco deiectum periit. collatis igitur eis quae extant 7, 124 ἐπὶ ποταμὸν Ἐχείδωρον ὃς ἐκ Κρηστωναίων ἀρξάμενος ῥεῖ διὰ Μυγδονίης χώρης Herodotum scripsisse crediderim Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ ⟨Μυγδονίης χώρης⟩ Κρηστῶνα οἰκεόντων. denique addo sciri iam non posse an Crestonaei reuera Pelasgi fuerint necne.

II. Herodoto unos Dorienses ueros genuinosque Graecos uisos esse apparuit, absque illis ceteros sermonem mores uestitum Graecum accepisse. quod in eo non mirabile est qui ipse esset Doriensis, neque magis tamen offendit quod de antiqua Atheniensium barbarie caute et prudenter locutus est laudis imperiique Attici strenuus admirator. longe aliter sensit de Ionibus. Halicarnassenses aegerrime tulisse facile

intelligatis quod Ionum superbia ab duodecim urbium societate arcerentur quamuis non modo Doriensium foedus reliquissent sed sermonem quoque Ionicum recepissent. praeterea eo tempore libros suos scripsit Herodotus quo inter Athenienses Ionesque magis magisque odia et inimicitiae efflagrarent. Atticorum aequitas imperiumque populare summis laudibus digna ei uidebantur, Ionicorum optimatium gentilis arrogantia ridicula et iniusta. sane patricii isti inde a saeculo sexto gentium suarum gloriae et dominationi omnia posthabuisse uidentur, illo saeculo eos extitisse crediderim qui fere omnium urbium Ionicarum κτίσεις ad Codridas Nelidasque referrent, illo quintoque saeculo multi uiri nobiles Iones uel Persarum auxilio ciues suos opprimere uoluere vel opera philosophiae data superstitionem a maioribus traditam destruere, Graecorum poetarum populorumque narrationes uolgo creditas proque historiae fundamento habitas refutare plus fidei Persis Aegyptiisque tribuentes. quorum ingeniis acribus callidisque argumentationibus etsi non parem se exhibuit bonus Herodotus, superbiae tamen et arrogantiae uehemens extitit aduersarius. an uos talia sine ira et inuidia scripta esse putetis qualia leguntur 1, 146 οἱ δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ πρυτανήιου τοῦ Ἀθηνέων ὁρμηθέντες καὶ νομίζοντες γενναιότατοι εἶναι Ἰώνων, οὗτοι δὲ οὐ γυναῖκας ἠγάγοντο ἐς τὴν ἀποικίην, ἀλλὰ Καείρας ἔσχον τῶν ἐφόνευσαν τοὺς γονέας? uel sine malitia Herodotum illis concessisse [147] ἀλλὰ γὰρ περιέχονται τοῦ ὀνόματος μᾶλλόν τι τῶν ἄλλων Ἰώνων, ἔστωσαν δὴ καὶ οἱ καθαρῶς γεγονότες Ἴωνες? hanc ipsam sententiam secuntur uerba grauissima et ad antiquae Ioniae historiam pertinentia, ita tamen concepta ut intellegi nequeant. in codicibus deterioribus — alterum genus hoc quoque loco deficit — leguntur uitiis dialecti praetermissis haec: εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες ὅσοι ἀπ' Ἀθηνέων γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσιν ὀρτήν· ἄγουσι δὲ πάντες πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων· οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσιν Ἀπατούρια καὶ οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ σκῆψιν. haec sententia qua omnes Athenis oriundi festumque gentilicium Atticum celebrare soliti Iones esse dicuntur, haec sententia quo pertineat non uideo. neque enim id agebat Herodotus ut nationis Ionicae certam definitionem institueret, quoniam hoc si uoluisset, Iones Atticae originis et ceteri Iones distinguendi erant — cf. uerba cap. 146 quae supra exscripsi uel e. g. 8, 73 — neque Iones Asianos reuera Iones esse ita probare poterat ut duarum syllogismi propositionum alteram quae erat de Apaturiis continuaret, alteram de Attica origine prorsus neglegeret. immo syllogismus ita institutus esse uidetur ut quae de Apaturiis dicta sunt propositionis uice fungantur, Attica origo illata sit non ut demonstret sed ut demonstretur. quod ita se habere etiam ex iis quae praecedunt planum fit. Herodoti aetate Iones Asiani tantummodo nomine Ionico utebantur seque solos genuinos Iones esse gloriabantur. quorum arrogantiae Herodotus obstitit cum ipsos illos Asianos conluuiem esse undique coactam et mixtam dixit. ne eos quidem patricios qui gentem suam ad originem Atticam referrent, sanguine puro et incorrupto genitos esse. tamen propter nomen Ionicum per saeculorum seriem seruatum essent modo Iones Asiani genuini Iones. atque sane illorum originem Atticam eo quoque probatam uideri quod universi Iones festum gentilicium patriciorum Atticorum celebrarent, neque obstare quod Ephesii Colophoniique hoc festo carerent, quoniam non antiquitus sed propter certa quaedam facta ab hac religione desciuissent. haec omnia firmo et perpetuo argumentationis uinculo inter se cohaerent, neque ad locum Herodoti expediendum quicquam ualet quod per errorem Ionum Apaturia ab Apaturiis Atticis descendisse dicuntur, quia eiusmodi error non Herodoti tantum est, sed totius saeculi. haec si recte exposui, uerba πάντες Ἴωνες ὅσοι ἀπ' Ἀθηνέων γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσιν ὀρτήν nihil

continent quod syllogismi rationem turbet, dummodo recte distinguantur, sed turbat uerbum εἰσί cuius causa ἄγουσι non minus quam γεγόνασι ad ὅσοι referre cogimur. legatis igitur ἔτι δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνέων γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσιν ὁρτήν et omnia bene procedere uidebitis. ἔτι logicum legitur 2, 45.

III. Qui per hos ultimos annos de imperii Attici primordiis praeclara docuere summaque digna admiratione in re tam intricata et difficili, ii ad unum omnes disputationum suarum quasi fundamentum posuere in loco Herodoti qui legitur 9, 106. post pugnam Mycalensem Graecos Sami concilium habuisse de Ionia id est de tredecim urbibus insulisque quae Panionia celebrabant; Lesbos et Aeolis non minus eo tempore pro appendice ut ita dicam Ioniae habebantur atque uiginti annis ante quo tempore frustra a Persis desciuerant. Peloponnesios proposuisse ut Iones in ipsam Graeciam transferrentur, quoniam nisi per bellum perpetuum a Persarum ultione defendi non possent. tum pergit Herodotus: Ἀθηναίοισι δὲ οὐκ ἐδόκεεν ἀρχὴν Ἰωνίην γενέσθαι ἀνάστατον οὐδὲ Πελοποννησίους περὶ τῶν σφετερέων ἀποικιῶν βουλεύειν· ἀντιτεινόντων δὲ τούτων προθύμως εἶξαν οἱ Πελοποννήσιοι. καὶ οὕτω δὴ Σαμίους τε καὶ Χίους καὶ Λεσβίους καὶ τοὺς ἄλλους νησιώτας οἳ ἔτυχον συστρατευόμενοι τοῖσιν Ἕλλησιν, ἐς τὸ συμμαχικὸν ἐσεποιήσαντο πίστι τε καταλαβόντες καὶ ὁρκίοισιν ἐμμενέειν τε καὶ μὴ ἀποστήσεσθαι. de iis Ionibus igitur qui in continente erant quid factum sit, prorsus non liquet. attamen ex hoc silentio Herodoti multa et grauia conclusa esse omnibus notum est. postquam Kirchhoff [Herm. 11, 1 sq.] in eo Athenienses Peloponnesiis cessisse coniecit ut de Ionibus ipsius Asiae nihil statueretur, Leo [acta concil. philol. Wiesbad. 1877 p. 60 sq.], haec ut corrigeret, Iones illos non in uniuersorum Graecorum societatem esse receptos, sed Atheniensium tutelae se sine certo foedere dedisse exposuit. quae quamuis acute excogitata sint, tamen stare non possunt nisi Thucydide uel correcto uel ambigue explicato. concedam ut 1, 89, 2 οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ οἱ ἀπὸ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου ξύμμαχοι ἤδη ἀφεστηκότες ἀπὸ βασιλέως deleatur ξύμμαχοι, neque tamen cap. 95 et 96 ullum discrimen a Thucydide inter Iones ceterosque socios uideo factum esse: conferatis talia οἵ τε ἄλλοι Ἕλληνες καὶ οὐχ ἥκιστα [i. e. maxime] οἱ Ἴωνες καὶ ὅσοι ἀπὸ βασιλέως νεωστὶ ἠλευθέρωντο siue ξυνέβη.. τοὺς ξυμμάχους τῷ ἐκείνου ἔχθει παρ' Ἀθηναίους μετατάξασθαι πλὴν τῶν ἀπὸ Πελοποννήσου στρατιωτῶν. omnino ista ratio qua ex silentio Herodoti tamquam ex puro et limpido fonte accurata illarum rerum notitia hauriri posse credebatur, mihi quidem non placet, sed ea quae scripsit ille, diligenter et subtiliter pensitari et examinari malim quam ea de quibus tacuisse uidetur. scripsit uero Atheniensium acri studio Peloponnesios cessisse. siquidem de urbibus Asiae, quae plus quam dimidia pars, ut minimum dicam, totius Ioniae est, nihil statuebatur, Peloponnesii non cessere, sed paene uicerunt, Athenienses uero colonias suas non acri studio defenderunt, sed ignaue et ambigue. de coloniis suis Peloponnesios decernere Athenienses uetuerunt: at Lesbus Samus Chius coloniae Atticae erant? de Lesbo ne uerbo quidem opus est, Samum ab Epidauriis conditam esse constat, Chii conditorem Oenopionem Thesei filium neque tamen Athenis profectum esse Io finxit [cf. Plut. Thes. 20 Paus. 7, 4, 10]. Milesii autem imprimis Athenis in Asiam se uenisse gloriabantur [cf. 1, 146. 5, 97. 6, 21], praecipue Milesios a Persis post uictoriam Mycalensem desciuisse Herodotus paulo antea narrauit: de iis nihil ne eum dixisse ulla ratione probabile uobis uidetur? mihi quidem quo saepius et attentius illam seriem legi καὶ οὕτω δὴ Σαμίους τε καὶ Χίους καὶ Λεσβίους καὶ τοὺς ἄλλους νησιώτας, eo certius probare posse mihi uisus sum in hac serie per librariorum incuriam aliquid excidisse neque a me impetraui ut Tenediorum Icariorum Leriorum noluisse Herodotum non meminisse crederem, de Milesiis

Ephesiis Colophoniis his omnibus ne uerbum quidem fecisse. immo mirum illud νησιώτας ab Herodoto nulla alia de causa positum esse crediderim nisi ut dimidiam partem eius notionis expleret qua uniuersi Iones significarentur: ne multa, Herodotum scripsisse puto καὶ οὕτω δὴ Σαμίους τε καὶ Χίους καὶ Λεσβίους καὶ τοὺς ἄλλους ⟨καὶ ἠπειρώτας καὶ⟩ νησιώτας οἳ ἔτυχον συστρατευόμενοι τοῖσιν Ἕλλησιν ἐς τὸ συμμαχικὸν ἐσεποιήσαντο.

IV. Denique finem faciam emendationis Herodoti et uobis solutionem proponam earum quaestionum quas ille se extricare non posse ipse fatetur in libro quarto [45]: ἡ Εὐρώπη οὔτε.. γινώσκεται... ὁκόθεν τὸ ὄνομα ἔλαβε τοῦτο οὔτε ὅστις οἱ ἦν ὁ θέμενος φαίνεται, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς Τυρίης φήσομεν Εὐρώπης λαβεῖν τὸ ὄνομα τὴν χώρην· πρότερον δὲ ἦν ἄρα ἀνώνυμος ὥσπερ αἱ ἕτεραι. ἀλλ' αὕτη γε ἐκ τῆς Ἀσίης τε φαίνεται ἐοῦσα καὶ οὐκ ἀπικομένη ἐς τὴν γῆν ταύτην ἥτις νῦν ὑπὸ Ἑλλήνων Εὐρώπη καλεῖται, ἀλλ' ὅσον ἐκ Φοινίκης ἐς Κρήτην, ἐκ Κρήτης δὲ ἐς Λυκίην. scio me rem aggredi a multis frustra et infeliciter susceptam iisque etiam qui summa et doctrina et sagacitate imbuti huic negotio operam dedere, saepe periculosam, explicationem dico fabularum Graecarum. attamen Graecorum superstitionis quasi ima corda uenasque non scrutabor — talia discere malo ab illis quibus Musae et Gratiae hoc munus dedere quam ipse temere et impie futtilia docere —, sed nihil me acturum esse profiteor nisi ut impedimenta quaedam melioris notitiae fabularum quae ad Europam eiusque sectatorem Cadmum pertinent, amouendo aliis uiam planiorem et commodiorem praestem. ne ita quidem omnia feliciter mihi esse cessura spero: quaecunque igitur protulerim, ea omnia accurate et incredule examinetis potius quam accipiatis.

Similiter atque Herodotus in Lyciam, Aeschylus Europam Creta in Cariam uenisse tradidit in tragoedia cui inscripsit Κᾶρες ἢ Εὐρώπη. nam quod Europa frg. 99 se Minoem peperisse narrat, haec aperte ad Cretam spectant, inscriptio uero fabulae, metus de Sarpedone filio, nomen Mylasi [frg. 101] ipsam rem in Caria actam esse eum quoque docent qui Buecheleri emendationi frg. 99, 17a non adstipuletur. Europam uero Sarpedonis matrem [cf. Hesiod. ap. schol. M 292 schol. Rhes. 28 Herod. 1, 173 Rhes. 29 Lycophr. 1284 et mythographos] propriam esse Lyciae apparet, ubi Sarpedo diuinis honoribus colebatur [Π 671 sq. c. scholl. Pepl. 53 Appian. bell. ciu. 4, 78. 79]. neque mera confusione Aeschylum Cariam pro Lycia posuisse Straboni [14 p. 665] credamus oportet. quod enim secundum ueterem fabulam Phoenix fuisse pater Europae [Ξ 321 c. scholl. As. ap. Paus. 7, 4, 1 Eur. frg. 472 Antim. ap. Steph. p. 619, 5 Mosch. Eur. 7 schol. Eur. Phoen. 5 schol. M 292 B 494 Con. 32. 37 Palaeph. 16], praeter hoc uero nihil omnino egisse fertur, id nihil prodit nisi Europam ex Phoenicia esse ortam, quo nomine olim Cariam significatam esse post H. D. Müller [Mythol. d. griech. Stämme I p. 308 sq.] multi probauere. grauissima extant Corinnae Bacchylidisque testimonia apud Athenaeum [4 p. 174 f] εἰ μὴ ἄρα καὶ ἡ Καρία Φοινίκη ἐκαλεῖτο ὡς παρὰ Κορίννῃ καὶ Βακχυλίδῃ ἔστιν εὑρεῖν, Atymnius Phoenicis filius Europae frater heros Caricus est [H. D. Müller l. c.], Lycios Quintus qui dicitur Smyrnaeus ita describit [8, 106] πάντες ὅσοι Φοίνικος ἕδος περὶ πάγχυ νέμονται αἰπύ τε Μασσικύτοιο ῥίον βωμόν τε Χιμαίρης, Phoenicem Astypalaeam Europamque genuisse Asius tradidit in Samo insula [Paus. 7, 4, 1 cf. schol. Ap. Arg. 1, 185. 2, 866], quam olim a Caribus barbaris occupatam fuisse constat [cf. e. g. Menodotum ap. Ath. 15 p. 672a uel Themistagoram in etym. m. p. 160, 22], omnino nomine Phoenicum a Graeco uerbo Graece formato Graeci antiquo tempore non unam et certam quandam gentem appellasse uidentur, sed, nisi omnia me fallunt, omnes quicunque piratae barbarae originis mare et littora sua

infestabant. piratae enim erant et Cares et Poeni, piratae Dolopes quoque olim Magnesiam [Apoll. Arg. 1, 585 c. scholl. Demetr. Sceps. ap. Strab. 9, 438], postea Scyrum insulam [Thucyd. 1, 98, 2, Plut. Cim. 8] habitantes, quorum Phoenix rex fuisse fertur [I 484 Pindar. ap. Strab. 9, 431]. quem Ioannes Toepffer [att. Geneal. p. 294] uersui K 266 ex I 448 male repetito nimia fide tributa in Boeotiam transferre non debuit.

Iam uero quaerendum unde Caria siue Lycia siue utraque regio numen Europae acceperint et quid rei Europae cum Creta fuerit. de Europa a Ioue in taurum mutato per mare in Cretam ducta omnia nota sunt, sed nimis a uiris doctis ea fabulae forma neglecta esse mihi uidetur, qua Europa in Boeotiam a Ioue abscondita et postea a Cadmo inuenta esse traditur. Europam enim siquidem monile illud famosum Cadmo cum Harmoniam duceret, dono dedisse Pherecydes auctor fuit [Apollod. bibl. III 4, 2, 3], hoc qua ratione narrare potuerit non uideo nisi ita ut in Boeotia Cadmum cum Europa, quam dudum quaesiuerat, congredientem faceret. quibuscum optime concinit quod Antimachus [cf. Steph. Byz. p. 619, 2 et. m. p. 755, 50 Pausan. 9, 19, 1 Aristot. rhet. Γ p. 1408a 2] Europam a Ioue in speluncam montis Teumesii prope a Thebis abditam esse narrauit. iam uero per multa testimonia a uiris doctis inde ab Odofredo Müller dudum collecta Europam constat ab iis gentibus quae ante Boetorum immigrationem Boeotiam tenebant cultam esse pro dea inferna. imprimis Lebadeae fanum erat Cereris Europae Trophonii uel Trephonii nutricis [Paus. 9, 39, 4. 5]. Pindaro [Pyth. 4, 46] auctore Euphemum Minyam Europa peperit ad Cephisi ripas, i. e. Orchomeni, Tityi filia, quem et ipsum Homerus Telluris filium [λ 576] dicit, Hesiodus et Pherecydes [et. m. p. 60, 37 schol. Apollon. 1, 761 Apollod. I 4, 1, 4] Elarae Orchomeni filiae a Ioue in terram detrusae, neque leuis esse momenti putauerim quod eundem Euphemum Taenari habitasse Pindarus tradiderit, eo scilicet loco qui ex communi Graecorum opinione Orci introitum praeberet. hic adferendus est Rhadamanthys Europae filius camporum Elysiorum in extremis mundi oris praeses [δ 564], Tityi affinis [η 323], a Phaeacibus mortuorum nautis uectus [ibid.], quem multo magis quam ad Cretam pertinere ad Boeotiam Euboeamque insulam Boeotiae oppositam docent locus Homericus modo allatus, matrimonium Alcmenae [Plut. Lys. 28 Apoll. bibl. II 4, 11, 7. III 1, 2, 3 Anton. Lib. 33], instructio Herculis [schol. Theocrit. 13, 9]. praeterea Achiui, ut ita dicam, Boeotii cum in Peloponnesum a Boeotis fugati essent, et ceteras superstitiones simul cum sedibus transferebant et Europam eiusque parem masculum Europem. Europis filius dicitur Hermion eponymus urbis inferis sacrae [Strab. 8 p. 373 Paus. 2, 34, 4. 35], apud Sicyonios [Paus. 2, 5, 6] Telchin et is daemon infernus, quocum componatur uelim Mineruae Telchiniae fanum illi montis Teumesii speluncae uicinum [Paus. 9, 19, 1].

Europae naturam diuinam postquam indicauimus, nominis ueriloquium obscurum esse nequit. saepe fit ut uerum inueniatur e contrario: sicut στενωπόν id significat quod angustum aditum praebet, ita εὐρωπός est locus late patens multisque apertus. telluris uero cauernae spatiosae et uastae patent mortuis Orcique portae etiam summae multitudini sufficiunt. optime Euripides in Iphigenia Taurica [625] τάφος δὲ ποῖος δέξεταί μ᾽ ὅταν θάνω; — πῦρ ἱερὸν ἔνδον χάσμα τ᾽ εὐρωπὸν πέτρας: nam εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ [Ψ 74 λ 571] omnes nouistis. flumen ab Homero Titaresium [B 751] appellatum Strabo auctor est [9 p. 441. 7 p. 329 frg. 14. 15] postea nomen Europi accepisse, non sine iusta causa: ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ [B 755]. denique comparetis haecce: Europa rapitur a Ioue, abditur in speluncam, quaeritur terrae marique: Proserpina rapitur a

Dite, subducitur sub terram, quaeritur per totum orbem terrarum. quin etiam Cererem Europam Lebadeae inuenimus. iam temerariumne est antiquam fabulae formam ita diuinando restituere ut Europam a Ioue inferno, ab Orco rapi ponamus? obstant quae de tauro mare pernatante narrantur: sed haec alius et recentis originis esse infra docebo.

Sed cum uetus ac religiosa superstitio post migrationes Doricas et Ionicas gentibus nouis ex antiquarum ruderibus commixtis et conflatis magis magisque in historiam laete et ubere fabulantem transmutaretur, ea quae de numinibus nominibusque infernis tradita erant, in eas potissimum terras barbarorum transferebantur quas Graeci aduenae occupauerant occupatasque siue per bellorum discrimina siue per pacis commercia et conubia tenebant. pauca exempla sufficient. Eurypyli ipsum nomen prodit originem infernam. colebatur Patris [Paus. 7, 19] quae ad occidentem Graeciae sitae sunt sicut Pylus, Orci porta; a nonnullis filius dicebatur Dexameni [Paus. 7, 19, 9], qui et ipse simul cum Dexamenis [Steph. Byz. p. 225, 10] Ambraciae parte, terrae non minus quam illae ad occidentem sitae, ex Orci cognomine πολυδέγμων sumptus esse uidetur. Eurypylum Thessalum Opis filium fuisse nescio unde Hyginus [fab. 97] hauserit, certe illum Dryopen genuisse [Steph. Byz. p. 239, 25] heroinam hominum qui e quercibus creuere, haud illepide excogitatum est. iam uero Eurypylus dicitur rex Meropum Cois insulae indigenarum quocum Hercules, Dorienses scilicet Asiani [cf. Wilamowitz. Isyll. p. 51], pugnat [B 677 c. scholl. schol. Ξ 255 schol. Pind. Nem. 4, 40 Apollod. bibl. II 7, 1, 2 schol. Theocrit. 7, 5 Ouid. met. 7, 363], Eurypylus est Mysiae rex qui Troianos a Graecis aduenis defendit [cf. Iliad. paru. ap. Paus. 3, 26, 9 λ 520 Procl. chrest. tab. Iliac. Soph. frg. 768 Aristot. poet. 23 p. 1459b 6 ut posteriores omittam, praeterea inspiciatis Wilamow. Isyll. p. 48], ad Eurypylum denique regem Cyrenarum indigenam uenit Cyrene nympha [Callim. hymn. Apoll. 92 Acesand. in schol. Apoll. Arg. 2, 498. 4, 1561], sub Eurypyli specie Aristaeus, deus Libyae pecudum fertilis [Pind. Pyth. 4, 28 sq. cf. Studniczka, Kyrene p. 105 sq.] uel Trito [Apoll. Arg. 4, 1551 sq.] Euphemo Battiadarum auo glebam illam dat, ut terrae Libycae possessio legitima Cyrenarum regibus ab ipso terrae numine concessa esse uideatur: olim enim Eurypylum ipsum glebam donasse, postea cum Eurypyli natura non iam intellegeretur, alios deos ei substitutos esse, mihi quidem certum uidetur.

Europam inuenimus in urbe Orchomeno Minyarum: Athamas Minyarum rex Teum condidisse fertur [Pherecyd. ap. schol. Plat. Hipparch. p. 229d Strab. 14 p. 633 Paus. 7, 3, 6], Erginus Orchomenius iterum extitit Mileti [Apoll. Arg. 1, 185 c. scholl. Hygin. 14], Minyas migrationis Ionicae participes fuisse Herodotus [1, 146] auctor est. Cererem Europam Lebadeae coli uidimus, ab hac uero Lebadea Lebedum Ionicam separari non posse et nomen docet et Andropompus conditor [Strab. 14 p. 633]. Andropompum enim cum Xantho Boeotorum rege per insidias pugnasse Pausanias [9, 5, 16] refert, quam pugnam non diuersam esse apparet ab ea quam Melanthus Andropompi filius [Paus. 2, 18, 8 schol. Plat. conu. p. 208 d] cum eodem Xantho pro Oenoe siue Melaenis pugnauit [cf. Maass gött. gel. Anz. 1889 p. 805]. iamuero Lebadus et Eleuther, eponymus oppidi Oenoae uicini, fratres dicuntur in ea fabula quae a Plutarcho in Aetiis Graecis [39] adhibetur, qua de causa Lebadum a Pausania [9, 39, 1] Atheniensem dictum esse crediderim. haec ne tum quidem corruent cum quis illo Pausaniae loco pro Ξάνθος ὃν Ἀνδρόπομπος . . . κτείνει legendum esse coniecerit ὃν ⟨Μέλανθος ὁ⟩ Ἀνδροπόμπου: gentem quandam quae ante Boeotos et Lebadeam et

Eleutheras tenebat, postea partem fuisse constat nationis Ionicae eique antiquas suas superstitiones tradidisse. ut argumentationem concludam, Europae nomen et notionem quippe quae ab iis gentibus qui postea Iones se appellauere ex ipsa Graecia in Asiae oram translata essent, ab iisdem gentibus adhibita esse conicio ei terrae uastae et a barbaris occupatae quae post oram maritimam intus porrigebatur. Cariam Phoeniciam appellatam fuisse uidimus, Europa est Phoenicis filia, herois Lycii mater: omnia praeclare concinunt. addere liceat urbem Caricam Hyromum, cuius nomen a Graecis in Euromum mutabatur [Boeckh, Staatshaush. II p. 492 Köhler, Abhandl. d. Berl. Akademie 1869 p.194], ab Herodoto Europum appellatam esse. indocte enim apud illum [8, 133. 135] Εὐρωπέα in Εὐρωμέα mutari Pausanias fidus Herodoti assecla docet [9, 23, 6], ne Stephanum [p. 287, 16] uel Etymologum [p. 397, 48] afferam. quae mutatio facilior certe erat si Europa ad Cariam pertinebat. huius Europae, quae praesidet Cariae Lyciaeque, filius dici sane potuit aquilo uentus rapax et procellosus qui de montibus illis altissimis in littus ipsumque mare ruit nautis praecipue promontoria circumuehentibus periculosus. equidem nomen Σαρπηδών ab Ἅρπυια ἁρπάζειν non diiunxerim eademque ratione explicauerim quod ipsa promontoria Sarpedones uel Sarpedoniae rupes appellantur [cf. imprimis Aeschyl. Suppl. 837 Apoll. Arg. 1, 211 c. scholl. Herodian. de sing. dict. p. 9, 10 Dind. Hesych. Phot. Suid. s. u. Σαρπηδὼν ἀκτή schol. Rhes. 28]. id numen per poetarum inuenta in heroem Lyciae transmutatum est atque ita quidem ut antiquae eius naturae omnis memoria interiret.

Hae tamen explicationes ei fabulae qua Europa a Ioue in Cretam translata esse tradebatur, nulla ratione adhiberi possunt. siquidem Europae uerum et anticum raptorem Ditem fuisse recte disputaui, is per mare non uehitur, Europae notio genuina an Cretae insulae aptari potuerit, ualde dubito, ac si potuit, certe terram per mare uehi ineptum est. iam accuratius totam illam fabulam examinantibus mira uobis se offeret similitudo qua cum eis coniungitur quae olim de Pasiphaae bouis forma indutae et tauri diuini e mari orti amoribus narrabantur, ad nos autem nisi obscoene et spurce deformata non peruenerunt [cf. quae congessit Bachet de Meziriac comment. sur les épîtr. d'Ouide 1 p. 339]. quae uero in Europae fabula offendunt, hic omnia aptissima. Neptunum certe magis decet taurum e mari procreare [cf. Apollod. III 1, 3, 2] quam Iouem, Luna — hanc enim Pasiphaae naturam esse constat opinor — quod cum tauro concumbit non mirum siquidem Lunae bouis speciem sollemnem fuisse uel Ius exemplum notissimum [cf. Usener. Rh. Mus. 23 p. 338 sq.] docet, Lunae denique proprium est peregrinari — Ἰώ ab ἰέναι deriuare nemo dubitat —, Telluris stare. quoniam uero Europa et ad tellurem et ad lunam referri nequit, unam uideo rationem qua illae difficultates amoueantur, Pasiphaae fabulam ita in Europam translatam esse ut huius uera natura prorsus obscurata sit. hoc qua de causa factum sit, diuinasse mihi uideor. de Europa Carica et Lycia satis multa protuli, iam audiatis Herodotum [1, 173]: οἱ Λύκιοι ἐκ Κρήτης τὠρχαῖον γεγόνασι. τὴν γὰρ Κρήτην εἶχον τὸ παλαιὸν πᾶσαν βάρβαροι· διενειχθέντων δὲ ἐν Κρήτῃ περὶ τῆς βασιλήιης τῶν Εὐρώπης παίδων Σαρπηδόνος τε καὶ Μίνω, ὡς ἐπεκράτησε τῇ στάσι Μίνως, ἐξήλασεν αὐτόν τε Σαρπηδόνα καὶ τοὺς στασιώτας αὐτοῦ, οἱ δὲ ἀπωσθέντες ἀπίκοντο τῆς Ἀσίης ἐς γῆν τὴν Μιλυάδα. aliquanto igitur post migrationem Iones cum Lycios, qui se ipsi sine dubio indigenas esse dicebant, ex Creta uenisse excogitassent, Sarpedonem ut Cretae natum esse probarent, Europae iter Cretense finxerunt adhibita fabula Pasiphaae, quae utrum Laconicae an Creticae originis fuerit, ad hanc certe quaestionem nihil refert. lepide certe atque eleganter Europae matri nomen Pasiphaae simillimum

Τηλεφάη siue Τηλέφασσα datum est [Mosch. Eur. 40. 42 Apollodor. III 1, 1, 2 schol. Eur. Phoen. 5 Rhes. 28 Steph. Byz. p. 306, 15. 218, 14 Harpocr. p. 47, 14 = Suid. s. u. Γαληψός = et. m. p. 219, 47]. Europae uero in Pasiphaae locum intrusae Minos quem olim a Minotauro non diuersum Pasiphaaeque filium ut illum fuisse contendere audeo, alter filius Sarpedonisque frater factus est ita ut Cretenses Lyciosque eiusdem sanguinis esse praeclare appareret. denique Rhadamanthys uerus Europae filius simul cum matre in patriam falsam receptus est. totam hanc fabulam non ita explicandam esse quasi re uera Lycii ex Creta uenerint, uel id docet quod Europa ipsa non ex Creta, sed in Cretam profecta esse semper traditur. quae enim de Europa Gortynia afferri solent [cf. O. Jahn. Abhdlg. d. Wien. Akad. 1870 p. 24 sq. Rossbach. Rh. Mus. 44 p. 433 sq.], iis caueatis ne in errorem ducamini. primo Gortyn procul a mari erat ita ut Europa per mare illuc perferri non posset, quae res multo grauior est quam fabellae istae de platano uel fonte propter Iouis Europaeque amorem famosis [cf. O. Jahn. p. 25], deinde deae illius Gortyniae nomen Ἑλλωτίς siue Ἑλλωτία erat [cf. O. Jahn. l. c.] quod et qua de causa et an recte a grammaticis ueteribus ad Europam relatum sit, nescitur; denique nummos illos aetatis recentioris quibus deae cuiusdam effigies quam archaeologi Europam dicere solent in platano simul cum aquila impressa est [cf. Rossbach. l. c.], ad fabulae uolgaris et multo antiquioris explicationem nihil conferre apparet. immo siquidem nummi Gortynii et Phaestii antiquiores — haec uni Rossbachio debeo propter bibliothecae nostrae notam neque tamen satis notam inopiam — Europae a tauro raptae imagine ornabantur, clarissime hinc Cretenses apparet ne ipsos quidem Europae originem sibi uindicasse, sed carminibus epicis cum de Europae itinere loquerentur, fidem tribuisse. carminibus epicis fabulam deberi dixi, quoniam ei cui Ξ 321 sq. debentur, nota fuisse uidetur; scholii enim M 292 subscriptor cum adnotaret ἡ ἱστορία παρ' Ἡσιόδωι καὶ Βακχυλίδηι Hesiodi nomen ex scholio Townleiano eiusdem uersus Ἡσίοδος δὲ Εὐρώπης καὶ Διὸς αὐτόν φησιν desumpsit; a nobis apud Simonidem [frg. 28] primum taurus diuinus Europam rapiens inuenitur. unde uero Europa Cretam perducta est? quod Tyriam eam fuisse inde a saeculo quinto Graeci credidere, hoc propter falsam interpretationem nominis Phoenicii factum esse uidimus; erroris uero auctores Iones fuisse crediderim saeculi sexti Graecarum fabularum adversarios acerrimos barbarorumque uetustatis admiratores. quid uero obstat quominus Europam in antiquis carminibus ex Phoenicia rapi ita traditam esse credamus ut Phoenicia Cariam Lyciamque significet? iam quod Europam Tyro Cretam, Creta in Lyciam uenisse Herodotus dixit, ipse ille hoc nihil aliud significare non animadvertit nisi Europam ex Lycia Cretam migrasse, tum in patriam rediisse. eius modi repetitionibus fere semper id prodi constat, fabulae cuidam antiquae nouam et ex diuerso totius uitae ac rerum statu ortam contra ipsum antiquae illius sensum ac finem insertam esse. atqui haec fabula cuius unus finis et sensus fuisse uisus est ut Lycios Creticae i. e. uere Graecae originis esse probaretur — quod Herodotus olim barbaros Cretam occupasse scribit, doctrinae debetur Ionicae sexto saeculo non antiquiori —, haec igitur fabula in illarum gentium Ionicarum usum excogitata est quae Lyciae originis esse non sine uituperatione dicebantur [Herod. 1, 146]. Ephori aetate ea ratio adeo fabulas antiquitus traditas uicerat et peruerterat ut Miletum urbem ab ipso Sarpedone coloniae Creticae duce conditam esse ille referret [Strab. 14 p. 634. 12 p. 573 schol. Apoll. Arg. 1, 185]. etiam minore fide dignae — fides enim fabularum quoque siue est siue non est — fabellae illae sunt quae de Mileto Cretensi Mileti conditore

leguntur apud Apollodor. III 1, 2 schol. Apoll. Arg. 1, 185 Parthen. 11 Antonin. Liberal. 30 Pausan. 7, 2, 5 Ouid. met. 9, 443 sq. schol. Dionys. Per. 825 Steph. Byz. p. 188, 13 Nonn. 13, 233. fuisse qui Minoem Sarpedonem Rhadamanthyn Lycasti et Idae filios diceret [schol. Rhes. 28 cf. Diod. 4, 60, 3], commemorare sufficiet. neque Lycii tantum, sed Cares quoque cum Cretensibus quodammodo coniuncti sunt. Atymnium quem Minoi et Sarpedoni rixae causam praebuisse Pseudoapollodorus [III 1, 2, 3] commemorat, a Gortyniis pro Europae fratre cultum esse Solinus [11, 9 cf. Nonn. 19, 182] narrat, non Cretensem sed Carem fuisse H. D. Müller [I p. 310] praeclare demonstrauit. cum Herodotus [1, 172] et Thucydides [1, 4. 8] Cares olim insulas tenuisse et Minoi subiectos fuisse tradidissent — inde e. g. explicandi Rhadamanthys eiusque filii conditores insularum [Apollod. III 1, 2, 3 Diod. 5, 79] —, Cretenses cum Caribus permixtos Asiae oram ante Iones habitasse Ephorus et alii dixerunt [Strab. 12 p. 573 Paus. 7, 2, 5. 3, 7. Diod. 5, 79]. Iones uxoribus Caricis usos esse Herodotus auctor est [1, 146 cf. Antonin. Lib. 30], sed fabulas quae huc respiciant antiquas nondum inueni. Idomenei enim Colophonii origo Cretica simili sane neque tamen eadem ratione explicanda est.

Sed omittamus Europam illam Creticam falsam et fictam et ad veram genuinamque redeamus. de Europa carmina egere et epicum Εὐρώπεια appellatum, sine ulla fide in scholii Z 131 subscriptione Eumelo adscriptum, et lyricum Stesichori. de epici carminis argumento omnia incerta et obscura, apud Stesichorum pugnam Cadmi cum Spartis narratam esse [cf. frg. 15] constat. oraculum a Pythia Cadmo datum, quod legitur schol. Eur. Phoen. 638, mythographis notum fuisse et hoc scholion docet quod compendio historiae fabularis deberi constat et Pausaniae [9, 12, 1] Pseudoapollodori [III 4, 1, 1. 2] Hygini [178 cf. mythogr. Vat. 1, 149 = 2, 77 = Lactant. fab. 3, 1] paraphrases, uersusque illos ex antiquo carmine desumptos esse non improbabile uidetur; quale uero id carmen fuerit, sciri nequit. sed alia et certiora sunt et grauiora. Cadmum postquam Spartos uicisset, Harmoniam Martis filiam nuptiis celeberrimis deis praesentibus duxisse uolgo narratum erat non solum ante Theognidem [15], sed etiam ante catalogos Hesiodeos [theog. 937. 975]. iam uero Spartorum fabulae primariam formam Aeschylus [Sept. adu. Theb. 395] tetigit, seruauit Pherecydes, quem praeter Hellanicum [schol. Apoll. Arg. 3, 1186] omnes secuti sunt, narrans haecce [schol. Apoll. Arg. 3, 1179 cf. Apollod. III 4, 1, 5]: καὶ ὁ Κάδμος αὐτίκα σπείρει αὐτοὺς εἰς τὴν ἄρουραν Ἄρεως κελεύσαντος καὶ αὐτῷ ἀναφύονται πολλοὶ ἄνδρες ὡπλισμένοι. ὁ δὲ Κάδμος δείσας βάλλει αὐτοὺς λίθοισιν. οἱ δὲ δοκέοντες ὑφ' ἑωυτῶν βάλλεσθαι κρατέουσιν ἀλλήλους καὶ θνήισκουσιν πλὴν πέντε ἀνδρῶν Οὐδαίου καὶ Χθονίου καὶ Ἐχίονος καὶ Πέλωρος καὶ Ὑπερήνορος, καὶ αὐτοὺς Κάδμος ποιεῖται πολίτας. pax igitur et concordia discordias et bellum secutae sub Harmoniae Martis filiae figura perspicue latet, aduenae indigenas dolo superantes partemque eorum in ciuitatis formam redigentes sub Cadmo post Spartorum uictoriam Harmoniae coniuge. sensus igitur finisque huius matrimonii ex earum nuptiarum comparatione cognosci debet quas apud Aristophanem Trygaeus cum Pace, Pisthetaerus cum Dominatione celebrant. similiter de his Wilamowitzium iudicare non sine gaudio legi [Eur. Her. 1 p. 315]; talia uero non ex populi superstitione crescere sed unius cuiusdam poetae ingenio creari nemo opinor negabit, atque poetae non admodum uetusti. accedunt alia. nomen Spartorum adeo cum ipsa fabula concinit ut fictum, non ex ipsa historia desumptum esse appareat, idem ualet de nominibus quinque illorum Spartorum, de quibus nulla gens Thebana originem suam deduxit. Echionis quidem

filius Pentheus sine progenie moritur nisi forte Oclasum illum in scholio Eur. Phoen. 942 nominatum plus quam merum nomen esse credatis; quod autem Aeschylus Melanippum [Sept. adu. Theb. 395], Euripides Menoeceum [Phoen. 942] Spartos dixerunt, nihil uoluere nisi genuinos Thebanos significare. denique nec Boeotii neque Cadmei generis Sparti esse possunt. cuiusnam igitur sunt? uereor ne nullius. ut Sparti pro Thebanis haberi nequeunt, ita Cadmus in hac certe fabula ab eo qui Cadmeam antiquam Cadmeorum sedem condidit discernitur. est enim aduena, quoniam serpentem terrae custodem [cf. e. g. Herodot. 1, 78. 6, 77 in oraculo] necat ut ipse locum possidat, serpentis progeniem ex terra ortam perdit aut subicit, denique id quod grauissimum est, diu peregrinatus oraculo consulto urbem condit. at inter antiquas Graeciae urbes ualde dubito an ulla inueniatur quae ex oraculi responso condita esse tradatur, eae enim a diis ipsis, non ab hominibus conditae esse credebantur: plurimae autem coloniae ut terrae alienae possessio legitima esse uideretur, oraculi iussu se de deductas esse gloriabantur. coloniae uero in aliena terra noue conditae aptissime conueniunt terrae filii siue indigenae propter suas ipsorum discordias aduenis male resistentes ab iisque uel necati uel legibus parere urbisque muris se continere docti. quae si recte obseruaui, totam illam fabulam de Cadmo Thebarum conditore praeter ipsum Cadmi nomen nihil continere consequitur quod ad ueterem Thebarum Boeotiarum historiam referri possit.

Haec minus audacter dicta esse uidebuntur cum eas fabulas comparauero quas ad eos Cadmeos qui antiquitus Boeotiam habitabant spectare probabile est. illae non agunt de Cadmi aduentu neque agere possunt quoniam ullam gentem ante Cadmeos regionem Thebanam habitasse ne tenuissima quidem memoria extabat, sed de Cadmeorum indigenarum Boeotorumque certaminibus. celebrat Pindarus [Pyth. 8, 46] δράκοντα ποικίλον αἰθᾶς Ἀλκμᾶν' ἐπ' ἀσπίδος νωμῶντα πρῶτον ἐν Κάδμου πύλαις, id est Boeotos Cadmeam expugnantes. Alcmaeonem enim, antequam a Corinthiis reciperetur, Boeotorum heroem fuisse et nomen docet Ἀλκμάν ab Ἀλκμάνα Herculis Boeotii matre non separandum et quod in Amphiarai quem Boeotum non fuisse constat, fano Oropio Alcmaeo nullo honore fruebatur [Paus. 1, 34, 3 cf. Baethe, genethl. Gotting. p. 176]. notabile mihi quidem uidetur Alcmaeonem apud Pindarum signum gerere dracontis quasi sua ipsius terra esset, qua in re Boeotorum studium non minus agnoscere mihi uideor quam in eo quod Alcmaeonem Amphiarai filium esse contenderunt. eiecti sunt Cadmei: Cadmum Harmoniamque ad Encheleas profectos esse barbaros ultimi septentrionis [cf. Hecatae. ap. Steph. p. 225, 14 Polyb. 5, 108 Scyl. 25 Strab. 7 p. 326 Appian. Illyr. 2 Steph. p. 260, 5. 13] ibique in serpentes mutatos, id est ueram domum inter barbaros iam habere ipsos quoque barbaros factos, denique cateruas barbarorum in Graeciam duxisse ut Apollinis Pythii templum diriperent, narrabatur testibus Euripide [Bacch. 1330 sq.] et Herodoto [5, 61. 9, 43 cf. Paus. 9, 5, 3]: nihil enim refert quod alter de Cadmo alter de Cadmeis loquitur. quae apud ceteros extant, aut nihil noui afferunt [Hygin. 6 Ouid. met. 4, 562 sq. 3, 97, cui idem Alexandrini cuiusdam color placuit qui Nonno [4, 417], Apollod. III 5, 4, 2] aut recentis originis sunt ut ea quae agunt de Enchelearum Illyriorumque conexu [Apollod. bibl. III 5, 4], de Cadmi et Harmoniae sepulcris quae Apollonius [4, 517] Nicander [Ther. 608] Dionysius [390] prope montes Ceraunios collocant, Callimachus [ap. Strab. 1 p. 46] et fortasse Nonnus [44, 115 sq.] apud Polam, Eratosthenes [Steph. p. 244, 11] Scylax [24] Phylarchus [frg. 406] etiam aliis locis, de Buthea [et. m. s. u.

Βουθόη. Βούθεια Steph. p. 180, 19], de Epiro uel Agaua [Parth. 32 Hyg. 184. 254], quae fabulae Euripidis Bacchis recentiores sunt, de Cadmeis ab Encheleis expulsis [Diod. 19, 53]. ne in fabula quidem ab Euripide seruata Harmoniam antiquitus locum suum tenuisse crediderim, sed translatam esse ex altera illa fabula de Cadmi nuptiis diuinis, id quod sine dubio accidit in eo quod in fine illius loci Euripides [Bacch. 1338 cf. Apollod. III 5, 4, 2 et schol. Pind. Pyth. 3, 153 cuius auctor Euripidem male intellexit] de Cadmo in campos Elysios collocato narrat. iam uero utros fabulam illam de Cadmo ad Encheleas fugato excogitasse credatis, Cadmeos an Boeotos? nam de Encheleis ipsis cogitare ne per Strabonis quidem testimonium de regibus Enchelearum ex Cadmi stirpe ortis licet, quoniam talia a barbaris illis fingi crediue non poterant nisi iis temporibus quibus Graecorum sermo litteraeque ubique summa auctoritate ualebant, saeculis dico Alexandrum secutis. equidem, ut libere loquar, quandocumque fabulam illam in mente uerso, semper audire mihi uideor Boeotos hostibus uictis crudeliter irridentes eorumque memoriam iterum iterumque dictis infestis lacessentes. similiter Batonem Amphiarai aurigam [cf. Paus. 2, 23, 2 Apollod. III 6, 8, 4] in Illyriam ad Harpyiae sedes abreptum esse fabulabantur, quae fabula apud unum Polybium [cf. Steph. Byz. p. 125, 6] extat atque id per misellas ratiunculas deformata, similiter siue Thessali siue Boeoti Athamantem, eponymum Athamanum quos in montes et barbariem fugauerant, ibi considere iubebant ubi bestiarum hospitio uteretur [Apollod. I 9, 2]. quae ut recte intellegatis, memineritis uelim uersus Sophoclei [El. 95] δυστηνὸν ἐμὸν θρηνῶ πατέρ' ὃν κατὰ μὲν βάρβαρον αἶαν φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν uel dicti illius Therae Cadmei qui filium se inter Lacedaemonios relinquere dixit quasi ouem inter lupos [Herod. 4, 149]: ne Ciceronis quidem uerba aliena quae Varroni post belli Africani turbas scripsit [ep. 9, 6, 3]: ‚*quasi utilius rei publicae fuerit eos etiam ad bestiarum auxilium confugere quam uel emori uel cum spe si non optima, at aliqua tamen uiuere.*

His igitur in fabulis uera ac uiuida acrium odiorum bellorumque saeuorum spirat recordatio neque ad eam Cadmus pacis et concordiae felix restitutor referri potest. ex Cadmi peregrinatione, oraculo consulto, terrigenis uictis et pacatis supra conclusi illius fabulae inuentori coloniae alicuius primordia in mente uersata esse. atqui Cadmei postquam ex Boeotia eiecti sunt, longe lateque per maria ac terras peregrinati sunt sicut ipse Cadmus in fabula antequam in Boeotiam uenerat. Gephyraeis certe quos siue Cadmeos siue Cadmeis quam proxime affines fuisse ex Herodoto [5, 57] concludere licet, cum exules errassent diuque domos ac sedes desiderassent, deus respondit ἀνδρὶ Γεφυραίῳ οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος [Eust. p. 408, 4 Suid. s. u. δόρυ καὶ κηρυκεῖον cf. Toepffer att. Geneal. p. 296 sq.], domos uero quaerebant lunae numen ii quoque secuti sicut Cadmus. haec ut recte intellegantur, ad priorem fabulae de Cadmi aduentu partem altera multo obscuriorem adeundum est. unde uenientem poeta ille epicus quem agnouisse mihi uisus sum, fecerit Cadmum, quas per terras errantem, ne conici quidem potest; hoc unum affirmare audeo Cadmum quaesiuisse Europam a Dite raptam. sororem uero eam Cadmi fuisse non narrauit. cum enim apud antiquiores scriptores Cadmus Agenoris, Europa Phoenicis filia dici soleat, posteriores demum Europam Agenoris filiam faciunt [Apollod. III 1, 1, 2 schol. Rhes. 28 Ouid. met. 2, 858 Diodor. 5, 78, 1 schol. Aeschyl. Sept. 469 Hygin. 155. 178]; Cadmum Phoenicis filium unius Lysimachi curiositas [schol. Apoll. Arg. 3, 1186] inuenit. ceterum uel hinc Cadmo cum Poenis nihil commune esse apparet. sed ad poetae illius umbram redeo. postquam igitur Europam frustra quaesiuit, Cadmus oraculum consuluit, deus uero

eum urbem condere iubet quasi interrogationem prorsus neglegat. quae enim apud Ouidium [met. 3, 1 sq.] et alios [schol. Eur. Phoen. 5 Aesch. Sept. 469 Diodor. 4, 2 Apollod. III 1, 1, 4 Hygin. 178 myth. Vat. I 149 = II 77 = Lactant. fab. 3, 1. Seru. ad Aen. 3, 88] de reditu uetito narrantur, recentis poetae acumen produnt, etiam ineptius apud bibliothecae auctorem [III 4, 1, 1] deus respondet περὶ τῆς Εὐρώπης μὴ πολυπραγμονεῖν. unum sequor Euripidis scholiastam [Phoen. 638] qui ipsis oraculi uerbis hoc quasi argumentum praemisit: Κάδμος ζητῶν τὴν ἀδελφὴν Εὐρώπην μαντεῖον ἔλαβε περὶ τῆς ἀδελφῆς οὐδὲν αὐτῶι σημαῖνον. hic enim mos erat dei Pythii ut colonias condere eos iuberet qui de longe aliis rebus oraculum consulerent: cuius consuetudinis celeberrima exempla praebuere Grinnus et Battus apud Herodotum [4, 150. 155]. tamen ne de Europa quidem Cadmus frustra deum adiit: inuenit enim eam, postquam urbem condidit, in spelunca uicina quo Dis eam abdiderat [cf. p. 11]. quae omnia obscurata sunt per Europae Creticae auctoritatem, multo tamen Cadmi fabulae aptiora esse uidentur quam illa, in quibus hoc certe displicet primo quaeri puellam summo studio a Cadmo, tum eos sine ulla probabili ratione in aeternum tempus separari. sed ut nuptiis Harmoniae, ita Europae et raptui et inuentioni altior sententia subesse uidetur. siquidem Europa ad terram pertinet, quid magis est coloni errabundi quam terram quaerere ubi considat et urbem condat? quid magis Cadmeos decebat quam de terra erepta fabulari? his omnibus perspectis de Thebis recte iudicare facile est: quamquam enim Thebas Boeotias quin intellegi uoluerit poeta, dubium non est, narrationem ipsam ita instituit ut non de ueris Thebis, sed de colonia qualibet agere uideretur. ei fini nomen Thebanum erat aptissimum quippe quod plurium urbium sicut Argos uel Larisa commune esset. praeter Thebas Boeotias quattuor enumerantur schol. Eur. Androm. 1, quod ita scriptum extat in codicibus optimis Marciano, Neapolitano II F 41, Ottoboniano 339: τὴν ἐν Ἀσίαι λέγει [τὴν add. M] Ὑποπλάκιον Θήβην ἧς Ἠετίων ἐβασίλευσεν. Δικαίαρχός φησιν ἐνθάδε ἀπόσπασμά τι [ἀποσπάσαντα O] ⟨τοῦ⟩ μετὰ τοῦ Κάδμου στόλου [om. M] οἰκῆσαι [οἰκῶν NO]. ἔνιοι [ἐν ἧ MNO em. Cobet] δὲ καὶ τὴν [τὸν MO] Χρύσην καὶ τὴν Λυρνησσὸν ἐν τῶι τῆς Θήβης πεδίωι τάσσουσιν ὡς ὁ [om. NO] Αἰσχύλος Λυρνησσίδα προσαγορεύσας τὴν Ἀνδρομάχην ἐν τοῖς Φρυξὶν [frg. 267], ἔνθα καὶ ξένως [ξένων MNO] ἱστορεῖ Ἀνδραίμονος [ἱστοριανδρέμονοσ M ἱστοριαν ἀνδρέμενοσ O ἀνδρέμονος N] αὐτὴν λέγων· ,Ἀνδραίμονος γένεθλον * * Λυρνησσίου ὅθενπερ Ἕκτωρ ἄλοχον ἤγαγεν φίλην' [ἄ. ἤγαγε φ. M ἄλογον (ὅλογον N) φίλην ἤγαγεν NO]. Φίλων [φιλιασ M φιλίασ NO] δὲ καὶ ἐν Θεσσαλίαι [θαλασσία MNO] φησὶν ἐν τῶι Φθιωτικῶι τέλει Θήβας εἶναι. Θεόπομπος δὲ ἐν τοῖς [γὰρ O] Ἑλληνικοῖς καὶ περὶ τὴν Μυκάλην ἄλλας [μ. ἄλας M om. O spatio relicto] εἶναί φησι, ταύτας δὲ Μιλησίους [Μυκάλην - Μι om. N δὲ μι om. O] ἀλλάξασθαι πρὸς Σαμίους [πρόσσαμίουσ O προσαμίουσ N προσάμιουσ M]. huic catalogo apud Stephanum [p. 312, 15] quattuor adduntur, quarum ultimis tribus, Thebis Cataoniae Italiae Syriae, facile caremus. de Theba Attica iudicium cohibeo neque de Thebis Phthioticis Homero ignotis aliquid dicere possum quod ad historiam fabularem spectet. de Theba Ectionis iterum affertur Dicaearchus in subscriptione scholii Z 396 A, sed quae narratio praecedit, ea ad Cadmi socios nullo modo pertinet. huius tamen narrationis epitomen in Townleiano altera sequitur de Erithela et Lebe, qua cum scholio Euripideo coniuncta et quomodo Dicaearchus rem narrauerit apparet et quomodo subscriptio illa falsa orta sit. sed haec omitto: cauendum enim ne illi Cadmeorum coloniae nimium tribuatur. immo an unquam Theba Homerica extiterit, ualde dubito. Θήβης πεδίον enim ex ipsis Homericis carminibus nomen accepit, et misera illa rudera quae Adramytteni Thebae reliquias esse gloriari solebant [Strab. 13 p. 612], Strabo ipse concessit ita sita esse ut Homerica loci descriptio non conue-

niret [13 p. 614], cuius uerbis οὔτε δὲ Πλάκος ἢ Πλὰξ ἐκεῖ τι λέγεται οὐθ' ὕλη ὑπέρκειται plus tribuo quam ratiunculis illis quae schol. Z 397 T leguntur. uenio ad Thebas Aegyptias quod nomen olim non ad Diospolin pertinuisse, sed nihil nisi magnam Aegypti urbem significasse loci Homerici certissime docent. quoniam uero Aegypti notitia primos ad Iones peruenit, illos Thebarum nomine uti solitos esse concludo ut urbem magnam et fabulosam significarent. quem usum, ni ualde fallor, accepere a Cadmeis quos inter Ionum auos fuisse Herodotus [1, 146] testatur. Theba illa Ionica quam Theopompus commemorauerat, erat prope montem Mycalen neque procul distabat a Priene quam Cadmen eiusque incolas Cadmeos uocari Hellanicus [Hesych. s. u. Καδμεῖοι Strab. 14 p. 636] testatur. cetera Cadmeorum Ionicorum uestigia collecta inuenietis in Toepfferi libro optimo de gentibus Atticis [p. 295]. denique notabile est Spartorum fabulam non cum Cadmi tantum aduentu sed cum Iasonis quoque rebus gestis adeo sine discrimine coniunctam esse ut eiusdem draconis dentes a Cadmo et ab Iasone Pherecydes [schol. Ap. Arg. 3, 1179] satos esse tradiderit. atqui haec Argonautarum fabulae pars ab omnibus ad Milesiorum colonias Ponticas refertur. uetustam igitur et ex ipsa historia petitam fabulam de Cadmo terram quaerente extitisse apud Cadmeorum gentes conicio, eam ut ipsos Cadmeos ab Ionibus receptam esse, denique a poeta Ionico eo tempore quo antiquae Cadmeorum sortis memoria fere euanuerat, ita excultam et ornatam esse ut coloniae Ionicae exemplar proponeret generale. ita certe explicatur quomodo factum sit ut Cadmus Thebas antiquam et ueram patriam quasi nouam coloniam condidisse crederetur.

Sed ita me abripuit et abduxit studium fabulas peruestigandi ut iam spatium deficiat nominis Europae geographici explicandi. postquam enim Iones fabulari desierunt rerumque ueritatem cognoscere coeperunt, anticum deae Europae nomen ei orbis terrarum parti attribuerunt quae uersus septentrionem et occidentem porrigitur, ubi olim Orci portas esse crediderant, ne tum quidem omni ueteris superstitionis memoria abiecta. haec uero paucis uerbis exponi nequeunt: in posterum igitur annum differo.
